



Lingva Avrea Christianorvm

Ruben, Leonhard

Padibornae, 1606

Capvt 4. Silentium regulare infringere nolentes, duo Religiosi, à barbaris capti, morte etiam intentata, infringere noluerunt, & grandi miraculo ex eorum manibus liberati sunt. Simile patet, ex ...

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56433](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56433)

viderunt oculi tui, ne proferas in iur-
 gio citò, ne postea emendare non pos-
 sis cùm de honestaueris amicum tuum

CAPVT IV.

Silentium regulare infringere nolentes duo Re-
 ligiosi, à barbaris capti, morte etiam intenti-
 ta, infringere noluerunt, & grandi mira-
 culo ex eorum manibus liberati sunt. Simi-
 le patet ex silentio Secundi

Atheniensis Philo-
 sopi.

QVa de re Vincentius, Belua-
 censis Episcopus ordinis D-
 Dominici, qui circa annum 1250
 in speculo historiarum ita scribit
 Tempore quo sæuissima gen-
 Northmannorum, Pictauorum,
 Turonum fines vastabant, du-
 fratres ordinis Cluniacensis Turo-
 nes mittebantur. Qui dum cape-
 rent iter, & in quendam locum
 gratia quiescendi diuertissent, a
 eisdem Northmannis nocte cap-
 ti sunt; & capere quidem eos, ac
 ligare manus eorum, deinde minari
 potuerunt, sed eorum silentium

Clunia-
 censes
 fratres

corrumpere nequiverunt. Manè autem cum ad locum constitutum applicuissent fratres ut erant ligati se paululum ab eis sequestrantes, in terram se prostraverunt, ut peracto Psalmorum cursu, silentio finem imponerent. Non dum verò oratione completa venit pars reliqua Northmannorum multa præda capta, quorum Dux cernens fratres in terra iacere, audito quòd illi nullo modo possent eos loqui facere, barbarica immanitate turgidus, inclinato velut ad feriendum conto, irruit super eos, metum mortis incutiens, cæteris quoq; barbarico ritu manibus plausum dantibus. At illi ut erant animo constantes, corpore permanferunt immobiles, quòd fiebat jure & obseruantia sanctæ regulæ, sub qua & mori cupiebant & viuere. Sed Omnipotētis manus, eorum exhilaratum spectaculum,

con-

conuertit in luctum. Mox enim vt ille barbarus ad eos appropinquauit, equus phaleratus cui insidebat in obliquum resiliuit, & fessorem eius in terram strauit, & collisit, quam collisionem statim febris lethalis secuta est. Conticuerunt omnes, & versi in stuporem cœperunt quærere inter se, quid ex eis deberent facere. Tandem reperto consilio, dignum esse censuerunt, vt pro vita sui Ducis vnus ex eis caderetur. Deinde cœperunt forte quærere, quem ex eis deberent interimere; sed super virtutum viros, & forte Christi connumeratos nullo modo diabolica cadere poterat fors, ita vt illi obstupescerent, dicentes eos vltra homines esse, super quos eorum fors non potuisset cadere. Tunc manus eorum velociter dissoluerunt, & abire fecerunt. Hæc ille. Idem probatur exemplo gentilium. Quidam enim

*Sors
malo-
rū non
cedit
in bo-
nos.*

Philosophus Athenientium, Secundus nomine, tanto studio (ob certam quandam causam quam videre poteris apud eundem Vincētium Beluacensem Episcopum libro. speculi historialis cap. 70.) sectatus est silentium, ut mortem citius oppetere paratus fuerit quam silentium violare. Circa cuius tempus Adrianus Imperator veniens Athenas, eumque ad se vocatum, venientem primus salutavit: illo verò tacente, loquere inquit Philosophe, ut aliquid à te discamus, illo autem in proposito silentij persistente, mandavit spiculatori ut eum cum quodam altero educeret capite plectendum. Latenter verò eidem carnifici dixit, loquere ei in via. & persuade ei, ut loquatur, & si quidem persuasus locutus fuerit, decolla eum: sin minus reduc illum ad me. cum verò in loco tormento aut supplicio

*Secundus
Philosophus*

*Adrianus
Imperator.*

destinato

destinato, diceret spiculator. Secunde extende ceruicem, & excipe in ea gladium, ille extendens ceruicem silentio vitam postposuit. Apprehendens ergò eum, venit ad Adrianum Imperatorem, dicēs: Secundum vsque ad mortem tacuisse.

CAPVT V.

Proueniunt casus, & ruinae ex mala custodia linguae. Exemplo etiam Luciferi.

Casus linguae **H**Oc caput duo incommoda alia loquacitatis complectitur, quorum primum est, casus: quem videns Eccl. capit. 22. 33. inquit: *Quis dabit ori meo custodiam, & super labia mea signaculum certum; ut non cadam ab ipsis, & lingua mea non perdat me.* Varij quidem sunt casus vnde facile resurgimus, & quorum dolori mederi non est magnæ industriæ; at secus est in casu linguae, cui medicamenta ad-

hiberi